Incipit prologus In Translationem sancti Annonis archiepiscopi.

D E·V·M· Secundum quod magnus
est. et laudabilis nimis. nemo
digne laudare potest.
et ideo in sanctis suis eum laudare
ore prophetico admonemur.
quos scilicet conformes glorie
sue in beatitudinis arce iam collocavit. Nam
dum eorum exemplis erudimur. ut secundum exemplar moysi
in monte ostensum facere tabernaculum dei debeamus.
unde nobis et recte vivendi forma. et salutaris suffragii remedia procurentur. etiam e vicino habemus. Proinde patrum memorabilium merita venerari. eaque
stilo famulante memorie tradere operepretium est. ut
scribantur in generatione altera. et populus qui creabitur
pro his laudet dominum. Apostolus sane gratiam dei in his commendans. quos inquit iustificavit. illos et magnificavit. et alibi. non enim qui seipsum commendat
ille probatus est. sed quem deus commendat. Illos igitur
quos in hac vita iustificavit et probavit. illos et post
hanc vitam commendavit et probavit evidentissimis miraculorum signis. Que magne commendationis dei. et commendande magnitudinis
ratio. in sancti Confessoris christi Annonis colo
niensis archiepiscopi meritum prerogativus sublimitur

claruit et claret. qui hic spectate uite et fame integre. egregiorumque actuum splendoribus decoratus gaudet in perhenni uita. corona glorie et stola iocunditatis exaltatus. uere sacerdos et princeps magni. iuxta nomen magnorum qui sunt in celis. Cuius de tumulo eleuationem uel signorum que circa id tempus passim contigerunt fidem. siquis captus amore scire uoluerit. presentis pagine ueritati morem gerat. ubi nichil fucatum. nichil secus quam gestorum tenor habet inueniet. Nec alia quam que oculata fide ipsi conspeximus. uel eorum qui uiderunt fideli relatu didicimus a nobis commemorantur. quia ueritas mendatio non eget. et sanctorum fame derogare non laudem astruere conatur. qui ficta pro ueris. adulata pro certis cudere ceca mente presumit. Summam autem quandam de omnibus degustare. non singula uerbatim assignare ratum duximus. ubi et si alicui licet magna que dicuntur tamen multa esse uidebuntur. hanc nobis uicissim ueniam donet. quam sibi de suo quisque patrono dari preoptaret. Quia uero ut uerbis beati Jeronimi utamur. difficile immo impossibile est placere omnibus. nec tanta uultuum quanta sententiarum diuersitas est. si forte de ariditate stili quisquam rite causabitur. attendat illud philosophicum. prudentis uiris non tam placere falerata quam fortia. et ubi rerum testimonia assunt. uerborum ambagibus non opus esse.

Explicit Prologus.